



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 70. Montaltum a Papa in civitatem redactum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

Præterea eadem etiam poena castigandam decernit illam conjugem, quæ iisdem adulteriis sese contaminaverit: denique die prima Novembris per aliud diploma stabilitur jurisdictio Judicis in causis *beneficialis confidentiæ*, & *simoniacæ*, in Romana Curia movendis, aut per *appellationem a iudicibus extra curiam introductis*.

§. LXX.

*Montaltum a Papa in civitatem redactum.*

Leti l. 7.  
tom. 2.  
Ciacon. p.  
129.

Hic idem Pontifex cum sese erga patriam suam munificum exhibere studeret, Montalti Cryptas, domumque, in qua primam lucem aspexerat, in urbem erigere statuit: at solo ad præconceptam hujus urbis fabricam minus idoneo consilium suum exequi præpeditus Montaltum, qui inter vicina civitatis suæ loca Vicus erat magis amplus, in urbem erigi curavit, eoquod ab hoc loco Cardinalis de Montalto vulgo appellatus esset: igitur novæ hujus civitatis delineationem sibi exhiberi iussit, eoque Deputatum, qui hoc opus exequeretur, unacum Architecto decernens singulis diebus plusquam quingentos operarios adhibuit, nequidem computatis loci incolis: tandem ergo urbis ædificio plene absoluto illam Episcopa-

scopali fede ornabat, eique Abbatiam sanctæ Mariæ de Monte Ordinis sancti Benedicti in Asculana Diœcesi attribuebat: insuper etiam pro Episcopi, & Capituli ibidem stabiliti sustentatione ex aliis prædiis redditus assignabat: præterea per aliud diploma die vigesimo sexto Novembris editum oppidum sancti Severini in Marchia Anconitana ad Episcopalis urbis prærogativam erexit, atque Ecclesiam Collegiatam Cathedrali dignitate insignivit, simulque Tolentinam urbem in eadem Marchia Anconitana sitam ad Episcopatum extulit, atque edito diplomate die decima Decembris illius Episcopum Firmi suffraganeum constituit, ita, ut tam hic, quam Maceratanus Episcopatus deinceps ab uno solo, eodemque Episcopo regeretur.

## §. LXXI.

*Diploma pro stabiliendo Cardinalium numero, ac prærogativis.*

Die tertia Decembris idem Pontifex aliam edidit Constitutionem, cui triginta septem Cardinales subscriperant, præcipue vero ea, quæ in illa continentur, ipsos etiam Purpuratos spectant, ubi inter alia Pontifex ita effatur: „Sicut in Cathedra ipsius Petri successor, & verus Christi Vicarius Roma-

Bb 5

„mus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

Bull. Const.

50. p. 658.

Spond. n. 5.

Ciac. p. 128.